



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Distantiam nihil conferre, vt vnus Angelus alteri loquatur, multo verius  
docuerunt Sanctus Thomas, & alij. cap. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tamen sententiam iam superius impugnauimus? Tamen igitur, vnum angelum non habere virtutem excitandi alium, vt necessario audiat, siue loquatur de rebus naturalibus, siue de mysterijs gratiae: nullam enim inter hæc duo differentiam inuenio: aut sane, si est aliqua vis excitandi necessario angelum, vt audiat, eam nobis ignotam esse.

Postremo his omnibus, quæ diximus, duo addenda sunt. Vnum est, non modo angelum superiorem loqui posse inferiori, verum, etiam angelum inferiori superiori, sicut expresse docuit S. Thomas quaest. 107. art. 2. & omnes Doctores superius allegati. Et quamuis in sententia eorum, qui affirmant; vnum Angelum alteri loqui impressione alicuius rei, hoc difficultate non careat, quia diffi. ile videtur, quomodo Angelus inferior agere possit in superiorem, in opinione tamen, quam posteriori loco adduximus & in ceteris omnibus nullam habet difficultatem. Id autem quod de angelis diximus, intelligendum est de animabus separatis, quandoquidem absq; conuersione ad phantasma intelligent, sicut Angeli: ita vt vna anima alteri anime, aut angelo, & angelus anime loquatur.

Alterum est, animam, & angelum loqui posse cum Deo, sicut docet S. Thomas q. 107. art. 3. nam quamuis Deo nota sint secreta cordis: potest tamen angelus, aut anima verbo mentis suæ illud exprimere, & Deo proponere, sicut oratione facit, & gratiarum actione.

DISPVT. CCXII.

An possit Angelus loqui cum altero in quacunque distantia.

*Necessarium esse determinatam distantiam, vt angelus alteri loquatur, aliqui senserunt. c. 1. Distantiam nihil conferre, vt vnus Angelus alteri loquatur multo verius docuerunt Sanctus Thomas, & alij. cap. 2.*

CAPVT I.

*Necessarium esse determinatam distantiam, vt Angelus alteri loquatur, aliqui senserunt.*

**I**N articulo 4. q. 107. disputat S. Thomas, an distantia secundum locum aliquid conferat, vt vnus Angelus alteri loquatur; sicut inter homines certa quædam & determinata requiritur. In qua difficultate non pauci Scholastici affirmant, distantiam multam conferre, vt vnus angelus alteri loqui possit: ideoque propter distantiam locutionem aliquando impediti. Hanc sententiam tradit Gregorius in 2. dist. 9. qu. 2. Scotus in reportatis dist. citata q. etiam 2. & in 2. eadem dist. q. 2. S. Ad questionem, versiculo. Sed contra hoc obijciunt. Id etiam supponit, vt verum Gabriel q. 2. a. 5. dub. 2. & 3. Maior q. 2. Ricardus a. 2. q. 1. ad 3. imo hic author affirmat, oppositam sententiã fauere ar. damnato ab Schola Parisiensi. nempe angelum nõ esse in loco. Idem docent Bonau. in 2. dist. 10. art. 3. q. 1. Bassolis dist. illa 9. q. 2. art. 2. Fundamentum huius sententiæ est humilmodi; quamuis locutio angeli si operatio spiritalis, est tamen limitata & finita: postulat igitur distantiam determinatam: nam & corporalis locutio ideo eam postulat, non quia corporalis sit, sed quia finita & determinata virtutis. Hæc tamen ratio, si alicuius momenti est, io eorum dun-

taxat sententia valet, qui asserunt locutionem angelorum fieri impressa aliqua forma mēti audientis; cuius sententiæ fuerunt Ricardus, Gabriel, Scotus, & Bassolis, quamuis diuerso modo eam fuerint secuti. At vero in opinione Greg. Maioris & Bonau. qui defendunt, vnum angelum alteri loqui absque eo, quod illi aliquid imprimat, siue per signa, siue alio modo, ego sane non video, quam vim possit habere.

CAPVT II.

*Distantiam nihil conferre, vt vnus Angelus alteri loquatur, multo verius docuerunt S. Thom. & alij.*

**P**Lacet igitur sententia eorum, qui affirmant, nihil omnino inuare propinquitatem ad audiendum aut impedire distantiam, quo minus vnus angelus alteri loquatur, ita vt audiri possit: quam docuerunt S. Th. infra q. 107. art. 4. Caiet. & recentiores Thomistæ ibidem Alex. 2. part. q. 27. membr. 7. & Matfil. in 2. q. 7. art. 2. ad quintam rationem. Eam vero ego non tantum existimo veram, si eorum sententiam sequamur, qui dicunt, locutionem fieri absque vlla impressione immanente audientis, sed etiam si cum Scoto, & alijs dicamus, vnum angelum alteri solum loqui impressione aliqua facta in mente illius: nam cause corporeæ ideo postulant determinatam distantiam, quia earum effectus continuo debet diffundi, nec possunt agere in extrema parte, quin agant in totum spatium actione cõtinuata: si autem non postulare distantiam determinatam, earum effectus esset in finitum secundum extensionem, quod est impossibile. Quæ quidem ratio cum eodem modo probet de operatione angelorum, quæ transit in exteriorem materiam, quia hæc necessario debet per totum spatium continuo diffundi, vt supra disp. 189. ca. 2. probatum est: tamen de operatione spiritali, qualis est locutio nihil probat. Nam cum operatio spiritalis, si aliqua est ab vno Angelo in alterum, non transeat per medium, non erit maior, aut minor, quia versetur circa angelum magis aut minus distantem: ipsa enim ex se solum quatenus in angelo recipitur expendi debet, & definiti. Quæ ratione diximus in ea disput. fore, vt angelus possit operari in materiam existentem in quauis distantia, si eius operatio non diffunderetur continuo per spatium: idemque de corporibus agentibus dixi, si possent siue medio in extremum operari.

Est igitur hæc sententia, vt opinor, vera, quacumque ratione velimus philosophari de modo, quo vnus angelus alteri loquitur: sed iuxta communem opinionem præsertim, quæ dicit nihil imprimi menti angeli audientis ab eo, qui loquitur, vt ipsum audiat: sic enim quemadmodum angelus in quacumq; distantia potest rem extra se existentem intelligere: eodem pacto poterit audire: siquidem eius audire, intelligere quoddam est, & locutio extra ipsum esse debet. Ceterum obseruandum est, posse quidem Angelos distare inter se maiori & minori distantia corporum, si illa esset maior & minor, nunquam tamen, etiam si spatium esset infinitum, posse collocari in infinito distantia. Ratio prioris est, quia cum voluntate propria possunt mutare locum absq; vlla fatigatione, poterit vnus ab alio magis ac magis elongari sine fine: neq; signare poterimus locum, à quo non possit

*Sententia hæc vera esse debet apud omnes.*

*Angeli non possunt in fine distare.*

possit Angelus ulterius moueri. Ratio vero posterior est, quia cum Angelus semper debeat esse in loco determinato & finito, & impossibile sit inter duo loca determinata & finita, esse infinitum interuallum: sequitur, Angelos non posse distare in infinitum: illud enim interuallum terminis & extremis concluditur.

## DISPV. CCXIII.

An possit vnus angelus alteri ita loqui, ut alij non audiant, etiam si velint.

*Ita posse vnum Angelum alteri loqui, ut alij non possint audire nonnulli docuerunt. ca. 1.*

*Non posse vnum Angelum alteri secreto ita loqui, ut ab alijs non audiat, alij non improbabilius autumant, cap. 2.*

## CAPVT I.

*Ita posse vnum Angelum alteri loqui, ut alij non possint audire nonnulli docuerunt.*

POsse quidem vnum Angelum vni tantum & multis loqui indubitatum est inter Scholasticos: nam siue alij audiant, siue non audiant quod dicitur, ei tantum aliquis loquitur, ad quem sermonem suum dirigit, veluti si Petrus cum Ioanne coram multitudine disputaret, cum eo tantum loqueretur, reliqui tamen omnes audirent. Est autem controuersia, an sicut vnus homo potest alteri ita secreto loqui, ut nullus alter audiat: sic etiam vnus Angelus possit ita alteri secretum cordis sui aperire, ut ille solum audiat. In qua quidem difficultate prior sententia est non paucorum Scholasticorum, qui censent, posse quidem vnum angelum alteri ita secreto loqui, ut alij non possint audire. Sententia est S. Thomae infra q. 107. artic. 5. & Caietani ibidem quos sequuntur recentiores multi Thomistæ, Ricardi in 2. dist. 9. artic. 2. Agidij dist. 10. quest. 3. artic. 1. Bassolis dist. 9. qu. 2. artic. 1. §. Est igitur quartus modus & Marfilij in secundum quest. 7. artic. 2. ad tertiam rationem in contrarium adductam. Ceterum cum hi authores varie sentiant de modo loquendi Angelorum non eodem pacto hanc sententiam confirmant. Primo Caietanus & alij Thomistæ ea ratione vtuntur, quia cum vnus Angelus aperiat secretum cordis sui alteri Angelo solo nura voluntatis suæ, quo posito secretum cordis iam habet ordinem cum Angelo, ad quem voluntate ipsa dirigitur, sequitur, ita posse aperiri vni, ut ceteris maneat occultum, ac proinde ita posse, vnum alteri loqui, ut ceteri audire non possint, quia loqui nihil aliud est, quam explicare secretum cordis: audire autem est illud percipere, & intelligere.

Hanc rationem non obscure indicat S. Thomas proinde in eam sententiam vehementer inclinatur, quam disp. 310. cap. 8. ex Caiet. & alijs Thomistis retulimus: posset tamen ipsum aliquis interpretari, ut loquatur nō de quouis genere locutionis, sed de eo duntaxat, quod est illuminatio, de quo seq. c. dicemus, ita posse ab Angelo illuminato percipi, ut ab alijs inferioribus nō percipiatur: alioqui cogimur deducere S. Th. in eā sententiam, ut solo nura voluntatis fiat locutio, quam satis difficilem esse in eo cap. 8. monstrauimus.

## ARTIC. V.

Ricardus, & qui existimant, vnum Angelum alteri loqui imprimendo illi speciem sui secreti, facile huius rationem poterunt assignare, quia videlicet vel Angelus potest radium intellectum ad vnum dirigere, & non ad alium, vel quia potest vni imprimere speciem sui secreti, & non alteri. Eodem modo, qui cum Scotus afferunt, vnum angelum alteri loqui imprimendo illi notitiam sui secreti per intellectum, siue speciem, qua ipse etiam intelligit, ut dicebat Scotus, dicunt etiam posse vnum Angelum ita loqui alteri, ut ab alijs non audiat: quia affirmant, hanc cognitionem in mente audientis generari pro voluntate loquentis: cuius sententia plane fuit Bassolis loco allegato, tametsi ipse, & Scotus dicant, iuxta eandem ex se, nisi Deus impederet, fore omnibus manifesta. Tertio Marfil. cum dicit, locutionem fieri per signa distincta à cogitationibus & naturaliter significantia affectum & secretum cordis (ex quo videbatur sequi, vnum angelum non posse alteri loqui, quin ab alijs etiam intelligatur & audiat, si illi velint) nihilominus docet, vt non accidere posse, & quod Angelus ita exprimat secretum suum illis signis, ut audiat ab omnibus, & vt ab vno tantum audiat, si velit ille, qui loquitur: existimat enim, esse signa quædam, quibus si Angelus vtatur in loquendo, ab omnibus audietur, quia omnibus significat; alia vero ita peculiariter, ut ab vno tantum intelligatur, quibus si Angelus vtatur, poterit secrete vni tantum loqui, & ab eo solum audiri. Hanc vero differentiam signorum non video qua ratio ipse probe, immo neque probare possit.

Quarto denique cum Agidius doceat, vnum Angelum alteri loqui per signa, affirmat nihilominus, ita posse vnum alteri loqui, ut ceteri non intelligant, id tamen solum fieri in ea locutione, quæ simul est illuminatio, qua vnus superius illuminat inferiorem; quia cum illuminatio solum contingat de rebus alias ignotis, nec eadem in angelorum perspicacitas, non omnes æqualiter intelligunt ea, quæ per illuminationem traduntur: sicut discipuli, etiam si percipiant sonum verborum magistri, non eodem modo sentium intelligunt: quale de causa non omnes ab omnibus indifferenter illuminantur, sed vnusquisque ordo à propiniori illuminatur. Quare iuxta sententiam Agidij quoties in inferior loquitur superior, quia talis locutio non est illuminatio, sed implex locutio, ab omnibus alijs audiat. Quapropter bona ex parte sanet Agidius posterior opinionis, quam sequenti cap. referemus.

## CAPVT II.

*Non posse vnum Angelum alteri ita secreto loqui, ut ab alijs non audiat, alij non improbabilius autumant.*

ALij vero Scholastici non absque probabilitate affirmant, non posse vnum angelum ita alteri loqui, ut ab alijs, si ipsi velint, non audiant. Ita docent Greg. in 2. dist. 9. q. illa 2. Gabr. ad dist. 9. q. 2. artic. 5. dub. 2. Maior q. 2. Hieronymus in 2. dist. illa 1. q. 2. ad primum ex his quæ in corpore questionis allata sunt, Quam quodlib. 1. q. 7. fundamenta vero horum Doctorum varia sunt iuxta varias etiam sententias de locutione.

Primum quidem Gregor. & Maior cum dicunt, Angelos loqui per signa quædam, siue ea sint naturalia.

S. Thom.  
Caiet.  
Ricard.  
Agid.  
Bassol.  
Marfil.